Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

Articulus 9

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

scrupulosè, et timidè praecepta interpretantur. Consule S. Doct. cit. locô; valdè enim eleganter ibidem de hac tractat materia.

Porrò quae dicta sunt circa recitationem horarum canonicarum, proportionaliter intelligenda sunt de celebratione Missae, secundū quam doctrinam Neomijsta scrupulosus actus suos tutò regulare poterit.

Articulus 9.nus

Quomodo scrupulosus circa confessiones se gerere debeat.

Scrupulus circa confessiones magis grassatur apud indoctos, quàm doctos et hoc praecipuè ob defectū scientiae; Vnde Confessariorum est, huiusmodi homines instruere. Juvat tamen hic desuper pauca subdere.

Noverit igitur "1.mo Scrupulosus, ei summopere expedire, ne leviter confessionem reiteret, "sed peccatis mortalibus, ut ait Taulerus," in ea detectis, et satisfactione peractâ, caetera Deo ~~[illegible]~~ humiliter relinquenda sunt, ac interim remorsus, qui exoriuntur /: donec ille per gratiam suam hominē liberet allevietq; :/ patienter ferendi, cùm humili in divinum placitū resignatione. Haec ille apud Blosiū de consol. pusill.

Hinc si Scrupulus suggerat peccatum vel esse omissum, vel amplius declarandum, aut circumstantia minus benè explicatam

† Scrupulosus

rursus confitendam, nihil horum omnino faciat; hoc enim modo nequaquam peccat, quamvis forsan aliquid huiusmodi omissum aut non sufficienter declaratum fuisset; quia ita agens prudenter operatur, ut omnes conveniunt. Et ideo caveat summopere, ne peractâ confessione denuò investiget Conscientiam, cùm huiusmodi investigatio sit aperta satanæ tentatio, quatenus nimirum Scrupulosum à Sacra communione removeat, aut fructu eius per nimias anxietates diminuat. Vnde consultissimum est, ut hanc Scrupulosam investigationem per alia pia exercitia præsertim ad amorem divinum conducentia excludere adlaboret.

Secundò Scrupulosus non tenetur ad tam accuratum eiusq; peccata præterita instituendum examen, quemadmodum alii, qui nulla sunt infecti Scrupulositate; si enim continuum conscientiæ remorsum propter actiones minimè aut saltem non nisi leviter peccaminosas patitur, quantò ma-

gis eum divexat, ac proinde continuò ante oculos mentis versatur peccatū mortale, si forsan in quoddam lapsus fuerit.

3tio Quamvis in peragendis confessionibus, nil magis poenitenti in votis esse ~~deab~~ debeat, quā ut verū eliciat dolorem cū firmo emendationis proposito, in hoc tamen minimè angi debent scrupulosi, præsertim si dolorem sensibilem non persentiscant, verus enī dolor ad peccatorum expiationem necessarius magis in ratione, quam in sensibus consistit. Itaq; dummodo excludatur affectus ad peccatum, meritò præsumere possunt de sufficienti dolore, positô quod ad eum eliciendum debitum adhibuerint conatum.

4to Deniq; abstineat† à verbosis confessionibus; "Hortor, ait Joannes Ruisbrochius," ut maximè caveas prolixas et verbosas confessiones; nam turbabunt pectoris tui pacem, et erroribus ac scrupulis te implicabunt; si enim utaris in confessione multis verbis non necessariis puta in enarrandis peccatis venialibus, magisq; velis tuô labore, quam piè Deo confitendo in huiusmodi minoribus

† Scrupulosus

„ culpis conscientiam tuam reddere
„ pacatam: Semper manebis divi-
„ nae illuminationis expers, nec à
„ Deo doceri poteris; atq; ita fiet,
„ ut inter grande et exiguum, in-
„ ter maius et minus peccatum, vel
„ defectum tuū discernere ne-
„ queas; cumq; aliquid praetermise-
„ ris, quod sis assuetus confiteri,
„ licet non sit ~~[illegible]~~ exprimi necessarium,
imaginibus vexaberis, atq; ani-
„ mi angore ac moerore contra-
„ heris, perinde quasi confessus non
„ sis, et forte multò amplius; nā
„ conscientiam tuā, quam fide, spe,
„ et charitate praeditā esse opor-
„ teret, formido, anxietas, et priva-
„ tus erga teipsum amor occupabunt.
„ quae sane cavenda tibi sunt. hac-
tenus Zuisbrochius apud Lauda-
tū Blosiū de Consol. pusill.

Articulus 10.mus

Quaenam observanda sint circa directionem scrupulosi.

Ars artium est regere animas di-
cebat olim magnus ille Pontifex
D. Gregorius. Verissimum sane
effatum, praesertim si ad animas
scrupulosas referatur, ut et ipsi
experiuntur, quibus huiusmodi
animae concreditae sunt. Unde
operae pretium est, ut pro coro-